Fratres. Convenientibus
vobis in unum iam non est
dominicam cenam manducare. Unus
quisque enim suam cenam presumit
ad manducandum. Et alius quidem
esurit. alius autem ebrius est.
Numquid domos non habetis ad
manducandum et bibendum. Aut
ecclesiam dei contempnitis. et con
funditis eos qui non habent.
Quid dicam vobis? Laudo vos
in hoc non laudo. Ego enim ac
cepi a domino: quod et tradidi vobis.
quoniam dominus Jhesus in qua nocte trade
batur. accepit panem et gratias
agens fregit et dixit. Hoc est cor
pus meum quod pro vobis tradetur.
hoc facite in meam commemoratio
nem. Similiter et calicem postquam
cenavit dicens. Hic calix no
vum testamentum est in meo sanguine

SLUB
Wir führen Wissen.
STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ

65.
65

ΓΑΜΗΛΙΟΝ

IN HONOREM PII, MODESTI, CANDIDIQVE IVVENIS VVOLFGANGI HOLTZHAVERI:

&

HONESTATE, OMNIQVE VIRTVTVM GENERE ORnatiſsimæ fœminæ CATHARINAE, Viri integerrimi IOHANNIS LAMIRAE (piæ memoriæ) relictæ Coniugis: VII. Calend. Iulij CRIMNICIAE Solennia Nuptiarum celebrantium, ANNO Salutis humanæ M.D. XCIII. Pietatis & debiti amoris ergò,

A

VVolfgango Pürtzelio C. decantatum.

262

LIPSIAE, Ex Officina typographica Abrahami Lambergi.

Dno Gottfrido Reinhardo amico suo haud postremo m. autor.

rr

EPIGRAMMA.

VIncit quid auri pondera?
Talenta, Cræſe, quid tua?
Lectos lapillos quid maris?
Hæc cum probentur omnibus,
Dotata moribus bonis,
Nata & pijs parentibus,
Prudens, Pudica FOEMINA
Præcellit orbis omnia.

σὺν Θεῷ.

MEus tulit tædas mea iam iugales,
SPONSE (io) veſtras thalamũq; veſtrũ,
SPONSA, deducto celebrare verſu
Præſide Phœbo.

Miror, en mecum Iouis & puellæ,
SPONSE, mirantur, Charitesq; diæ,
Eligis tantam quod amore Nympham
Vincis & iſtam.

Fallor? an primo placidè Marito
Mortuo heu triſti faciebat vrnæ,
Se, fidem, nulli Veneris daturam
Fœdera, dicens:

Hei, Vir, immites tibi ducta Parcæ
Fila ruperunt miſeranda, vitæ.
Deſeris tu me viduam atq; noſtri
Præmia lecti?

Nunc meos ſenſus igitur nouatos
Nulla deflectet Iuuenum caterua,
Et licet linquens Venus aſtra totum
Verteret orbem.

Nam mihi tellus prius hæc dehiſcat,
Antequàm primum violem pudorem,
Aut tui ſoluam data iura amoris
Omne per æuum.

Tu meos tecum rapis hinc amores,
Quos tuo ſerues foueaſq; buſto,
Dum ſinunt mutæ Superi fauillæ
Oſcula ferre.
Ecce ſed quid fata parant Dijq;,
Eſt quibus curæ ſociale vinclum
Eſt quibus gratum thalamo cubantes,
Viuere binos?
Mens enim mentem tua, SPONSE, duram
Impulit, ſenſuſq; reflexit huius
FOEMINÆ: veſtigia ſenſit ignis
Blanda furentis,
Carpitur cæcæ facibus Dianæ,
Et ſibi flammæ penetrant medullam,
Triſte ſub venis alit inde vulnus
Saucia curis.
Haud magis noctes dat amor quietas,
Haud dies, membris, ſine te ſerenos,
Hora nec ſaltem datur huic diurnæ
Vnica lucis,
Sed tui geſtus ſimul atq; vultus
Pectori (nec vana fides) recurſant
Ipſius: ſermoq; animis inhæret
Semper amicis.

Haud

Haud reor: quondam facilem Creuſam
Sic pium Æneam deamaſſe Regem,
Haud ita Eliſſam deamaſſe charam,
SPONSE, Sichæum:
Diligit quàm te CATHARINA lecti
Iam tibi vinclo ſtabili ligata,
Iactitans tales ſuper aſtra voces
Ore frequenti:
Quærit abſentem Venus alma Gnatum:
Pectoris noſtri latet is ſub imo
Saucians arcu pharetrâq; molli
Pectus amore.
Tot puer telis nimis es paratus,
Promptus ad ſæuas nimis & ſagittas;
Non decet Diuos iaculis Maritam
Perdere inermem.
Ergo ſuccenſas modò, SPONſe, flammas
Solue qua blandæ potes arte SPONSÆ,
Nam tuo ſolum patitur dolores
Nomine tantos.
Heſperum nigro magis ore cæcum
Expetit votis tacitè modeſtis,
Veſte quàm caſti roſeâ Parentem
Memnonis albam:

Vt leui tantùm minuat ſopore
Mentis immenſos miſeræ labores,
Tollat & pulcræ Veneris per oſſa
Nocte venena.
Mitto iam cunctas aperire dotes,
Corporisq; ipſam memorare formam,
Siue virtutes animo latentes
Interiore.
Nam comas ſpectans faciemq; pulcram,
Et manus quauis niue clariores,
Mox rogos vitæ proprios acerbæ
Extruis ipſe.
Iam ſed & pleno CHATHArina vultu,
Quem parem iactat pietas futurum
Lege Patrono necis antè victo,
Aſpice SPONSVM.
Gratiâ ſplendet varia genarum,
Oris & multo roſei decore,
Candor in totas animi medullas
Spicula torſit.
Non fouet caſto vetitos amores
Corde, nec rixas amat execrandas,
Sed viget morum grauitate magnâ
Laude vehendâ.

Ergo

Ergo nunc pactum ſociale veſtrum
Grator, & votis thalamum ſecundis,
Comprecans lecti facibus benigna
Fata iugalis.
Hinc Eris cedat procul, hinc ſorores
Turcicas Parcæ fugiant ad oras,
Et cadant iræ maleſuada ſemper
Iurgia amaræ.
Adſit at cœptis Hymenæus iſtis.
Vna quò vobis maneat voluntas,
Duret & longos amor hic per annos
Connubialis.
Prole fortunet DEA Iuno multâ,
Quem, thorum, intraſtis pariter, pudicum,
Sic vt hinc, tanquam, vireatis ambo,
Vitis amœna.
Quid moror? veſtri potius labores
Hic erunt. Ergo memorare plura
(Sufficit tantum ceciniſſe caſtis)
Deſine Muſa.
Qui valent multum ingenijs & arte,
Et fauet ſummus quibus ipſe Phœbus,
Quæ meo deſunt, pie SPONSE cantu,
Cætera pandant.

Viue

Viue agens æuum Pylij, marite,
Tu pari fato quoq; SPONSA, viue,
Et Sibyllinos ſuperate faſtos
Ambo VALENTES.

F I N I S.

SLUB
Wir führen Wissen.
STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ

SLUB
Wir führen Wissen.
STADT
BIBLIOTHEK
CHEMNITZ

aut emissa voce magna ex
piravit. pi. vr. Et velum tem
pli scissum est in duo a summo usque
deorsum. Videns autem centurio qui
ex adverso stabat quia sic clamans
expirasset ait. Vere hic homo
dei filius erat. Erant autem et mu
lieres de longe aspicientes inter
quas erat maria magdalene
et maria iacobi minoris et
ioseph mater et salome.
Et cum esset in [illegible]
eum et ministrabant [illegible]
multe que simul [illegible]
[illegible] ima. ev. E[illegible]
sero esset factum quia para
sceve quod est ante sabbatum venit
ioseph ab arimathia nobilis
decurio qui et ipse erat expectans
regnum dei et audacter intro
ivit ad pylatum et petiit